

PEDACII DIOSCORI-
DAE ANAZARBENSIS DE MATE-
RIA MEDICA LIBRI V. IANO CORNARIO
Medico Physico interprete.

EIVSDEM IANI CORNARII EMBLEMATA,
singulis capitibus adiecta.

DIOSCORIDAE DE BESTIIS VE-
NENVM EIACVLANTIBVS, ET LETALI-
bus medicamentis Libri II. Eodem Cor-
nario interprete.

EIVSDEM IANI CORNARII, IN EOSDEM LI-
bros, Expositionum Libri II.

ADIVNC TIS IN FINE TRIBVS TABVLIS LOCV-
pletissimis, quibus omnia quæ toto tractantur
opere, indicantur.



BASILEAE M. D. LVII.
Cum priuilegio Imp. in annos v.

& fieri ex ochra usta, nullo certo loco adscripto. Quare Diosc. recta lectio talis esse debet. γρυνάς τας κατά την πρόστις προπανίβερια. γινεται δέ κατά την ἀγρεαν καροφλίνης καὶ μεταβελλόσης εἰς μιλτού. Quod autem nascatur rubrica in Iberia, testatur Strabo lib. 12. mox post uerba de rubrica Sino pica, præcedenti emblemate adducta. γνάμιλλος δὲ τοιούτην οὐκέτι ιβηρικήν inquit, Ibericam cum Sinopica rubrica decertare uelut eius æmulam asserens. Sed interpres eius contrarium conuerit. Nostrī rubricam fabrilem fossilem, bergfrötel uocant: factitiam simpliciter rötel.

D E · L E M N I A · T E R R A . · C A P . · L X X V I I I .

L EMNIA terra ex cuniculo quodam antroso Lemni insulæ, quæ palustrem id cum habet, nata extrahitur: & illuc eligitur, & caprino sanguini miscetur, quæ eius loci incolæ efformant, & capræ imagine signant, & Sigillum capræ uocant. Vim habet antidoti aduersus letalia medicamenta excellentem, si cum uino bibatur. Sed & præsumpta, ut euomantur uenena cogit. Conuenit etiam ad bestiarum uitius eiaculantium plagas, & morsus. Miscetur etiam antidotis. Quidam & ad sacrificia utuntur ipsa. Sed & ad dysenterias utilis est.

E M B L E M A · L X X V I I I .

Palmam enim Lettinæ (rubricæ) dabant, inquit Plinius lib. 35. cap. 6. Et addit. Hæc est antisquis multū celebrata, cum insula in qua nascitur. Nec nisi signata uenundabatur. Vnde & sphragidem appellaure. Hanc minio sublinunt, & adulterant. In medicina præclara res habetur. Epiphoras enim oculorum mitigat, & dolores circumlita. Aegilopas manare prohibet. Sanguinem reijcentibus ex aceto datur bibenda. Bibitur & contra lienum renumq; uitia, & purgationes forminarū. Item contra uenena, & serpentium ictus terrestrium marinorumq;. Omnibus ideo antidotis familiares. Terram Lemniam Diocor. dictam, Plinius rubricam lemniā appellauit, & quod signata uenundaretur, etiam sphragidem uocari dicit. Et hoc testatur etiam Galenus libro 9. Simpl. phar. sigilli impressi gratia sphragidem appellari dicens: & ob colorē, quem eundem cum minio siue rubrica haber, Lemniam rubricam. Verum idem lib. 1. De antid. de lemnia rubrica in Theriacam Andromachi recepta loquens, dicit melius esse ut non rubrica, sed terra appetetur. Est enī, inquit, quædam Lemnia rubrica, quæ in Lemno nascitur, ad alios usus idonea, non ad quos lemnia sphragis. Et hæc amplius explicat priore loco. Tres inquit, reperiuntur ipsius differentiæ. Una est terra sacra, quam nemo alijs attingit, præter sacerdotem. Altera quæ utuntur maximè fabri lignarū, quæ alia est ab ea quæ reuera rubrica existit. Tertia extergendi uia prædicta, quæ utuntur qui linteæ & uestes lauant. Cæterum quod scribit Diocor. sanguinem caprinum ad terram lemniā ammisceri, hoc Galenus ita fieri negat, ut qui uiderit sacerdotem, terram ipsam uelut lutum aqua subegisse, & ad ceræ modum emolliuisse, & efformatis paruis particulis sacrum Diana sigillum impressisse, atq; ita in umbra siccasse. Addit amplius se ab omnib. derisum esse, quum percoctatus esset, an ne unquam antea hircinum aut caprinum sanguinem, ad terram ammisceri solitum fuisse, ex historia percepissent. Ibidem usum, & uires lemnia terræ exponit, quas hic omitto ab ipso autore petendas. Affertur hæc terra etiam hodie ad nos, Turcicis literis impressis, aut nescio quorum regum sigillis. Vnde quoq; officinæ terram sigillatam appellant. Hodie in magno usu est contra pestem, uelut lib. 1. de peste ostendit.

D E · A T R A M E N T O · S V T O R I O : · C A P . · L X X I X .

A TRAMENTVM sutorium genere quidem unum & idem est. Est enim humor concretus. Verum speciales differentias tres habet. Vnum enim dum humores guttatim in quosdam cuniculos percolantur, concrescit. Vnde etiam stillaticium uocatur, ab his qui in Cyprīs metallis operantur. Petesius uocat ipsum pīnarū. Alterum simpliciter fit in speluncis. Deinde in fossas transfusum concretionem accipit, quod priuatim compactum nominatur. Tertium coctum quidem appellatur, Sed in Hispania hoc modo paratur, inutileq; & infirmissimum est. Aqua dilutum ipsum coquunt. Deinde in solia transfusum ita sinunt. Hoc sane statis diebus concrescit, & in multis tessellatas figuris diuiditur, quæ botrorum modo inter se cohærent. Optimum censemur quod coeruleum est & graue, concretumq; ac pellucidum, uelut est Stillatitum, quod ab alijs lonchoton id est lanceatum appellatur. Proximum est compactum. At coctum ad tincturas quidem & denigrationes, magis idoneum esse uidetur. Sed ad medicinam debilius esse experientia comprobatur.

Potest adstringere, calefacere, crustas inducere, lumbricos latos necare, si drachmæ pondere deuoretur, aut cum melle delingatur. Vomitus etiam mouer, & his qui fungos sumpserunt, auxiliatur cum aqua potum. Caput purgat aqua dilutum, & per lam naribus infusum. Vritur autem uelut mox in chalcitide ostendemus.

EMBLEM A L X X I X

Græci cognationem æris fecerunt nomine & atramento sutorio. Appellant enim chalcanum. Ita Plin.lib.34.cap.12. atramentum sutorium nominis cognitione apud Græcos cum ære habere dicit. χαλκός enim æs est, & χαλκᾶ ἄνθος, æris flos. χάλκανθος autem atramentum sutorium. Atq; hæc est hominis cum ære cognatio. Addit mox. Nec ullius èquè mira natura est. Fit & in Hispania è puteis stagnis ue habentibus id genus aquæ. Decoquitur ea, admixta dulci parti mensura, & in piscinas ligneas funditur. Immobilib. Super has transstris dependent restes lapilis extentæ, quibus adhærescens limus uitreis acinis imaginem quandam uaæ reddit. Exemptum ita siccatur diebus triginta. Color est cœruleus, perquam spectabili nitore, utrumq; esse creditur. Diluendo fit atramentum tingendis corijs. Ita Plinius id quod in Hispania fit describit, & quæ de eodem parando Diosc. obscurius tradidit, uelut declarat. Subiungit idem & altos parandi modos, non ita clarè à Diosc. traditos. Fit & pluribus modis, inquit, genere eo in scrobes cauato, quarum è laterib. destillantes hyberno gelu stirias, stalagmias uocant, necq; est purius aliud. Sed ex eo candidum colorem sentiens, ut violam leucoion appellant. Fit & in saxorum castinis: pluuiia aqua corriuatum limum gelante. Fit & salis modo, flagrantissimo sole admissas dulces aquas cogête. Ideo duplixi quidam differentia, fossile aut factitium appellant. Hoc pallidios, & quantum colore, tantum bonitate deterius. Probant maximè Cyprium in medicinæ usu. Des inceps autem usum eius exponit, partim ut Diosc. habet, sed longè ampliorem. Sumitur ad despellenda uentris animalia drachmæ pondere cum melle. Purgat & caput dilutum ac narib. instillatum. Item stomachum cum melle aut aqua mulsa sumptum. Medetur & oculorum scabriei doloriq; nec non & caligini, & oris ulceribus. Sistit & sanguinem narium. Item hæmorrhoidum. Extrahit ossa fracta cum semine hyosciami. Suspendit epiphoras penicillo fronti impositum. Efficax & in emplastris ad purganda uulnera, & excrescentia ulcerum. Tollit & uexas uel si decocto tangantur. Cū lini quoq; semine superponitur emplastris, ad dolores tollēdos: quodq; ex eo candidat, in eo usu præfertur uiolaceis, & grauitati aurium per fistulas inspiratur. Vulnera etiam per se illitum sanat, sed stringit cicatrices. Et hæc est recta ac emendata Plinius hoc loco lectio. Sed quod subiectum ridiculum est. Nuperq; inuentum, ursorum in arena & leonum ora aspergere illo, tantaq; est uis in astringendo, ut non queant mordere. Galenus fortè fortuna sibi cognitum esse ait de atramento sutorio, quod in chalcitin mutetur. Attuli, inquit, multum huius pharmaci è Cypro, & tota eius extrinseca pars post annos ferè uiginti, chalcitis facta est, quū interna adhuc sit chalcanthus. Quare in hunc diem seruo id quod ita mutatur, obseruans quomodo singulis annis mutatio ad profundum usq; procedat, quemadmodum chalcitidis in Misys. Et paulo post, In Cypro hoc medicamentum hoc modo colligi uidi. Domus erat magna quidem, sed nō alta, ante ingressum ad metallum sita. Ad huius sinistrum parietem, sed ingredientibus dexterum, effossa erat scrobes in contiguum colle, ea latitudine ut tres uiri se mutuo contingere: altitudine ut longissimus homo erectus ire posset. Scrobs hæc declivis quidem erat, sed non acuta & prærupta. Ad finem eius quæ stadium explebat, lacus erat plenus aqua uiridi & crassa tepida. Quia uero singulis diebus colligebat aqua, guttatum in uiginti quatuor totius diei ac noctis horis, ex perforato colle destillans, ostio amphorarum Romanarum mensura erat. Hanc igitur aquam uincti quidam efferentes, in labra fictilia quadrata in domo illa posita infundebant, in quibus per paucos dies concrescens atramentum sutorium fiebat. Mibi uero quando ad terminum scrobis descendи, ubi tepida & uiridis aqua colligebatur, etiam odor aeris strangulans & toleratu difficilis uisus est, chalcitidem ac æruginem olens. Talem uero qualitatem habebat ipsa aqua in gustu. Quare nudi cum festinatione amphoras uincti illi exportabant, nec longiore moram illic sustinebant, sed cito recurrebant, lucernis ardentibus utrinq; in parietibus, ex moderato interuallo, quæ nec ipsæ longiore tempore durabant, sed citissime extinguebantur. Hunc igitur scrobem paulatim ab ipsis effossum esse per multos annos audii. Hæc enim dicebant aqua uiridis, quam nunc uides de colle in lacum deferri, paulatim paucior se ipsa fieri solet. Verum quando propè est ut desinat, rursus perfodiunt uincti contiguum collis. Et aliquando contigit ut aceruatim corrueret quicquid perfossum esset, ut omnes ipsos occideret, & totam uitam corrumperet. Quum igitur hoc contigerit, rursus alia facta cava uera perfodiunt, donec aqua sequatur. Hactenus Galenus. Atq; hæc sanè narratio ad Dioscridem & Plinium intelligendum plurimum facit. Paulo atramentum sutorium est aqua, quæ concrevit in Cypri

Cypti metallis, robustissimam habens adstringendi vim, cum caliditate non ingenerosa, & præ omnibus humidas carnes asseruare & siccare potest. Verum longiore temporis progressu in chalcitum transit. Notum est officinis attamentum sutorium, sed partim chalcanthi, partim ui-troli Romani nomine. Nostri Fupfferwasser uocant, id est aquam æris, pro colorum ratione, & parandi modo, appellationem illam uoce addita extendentes.

D E C H A L C I T I D E . C A P . LXXX

H A L C I T I S eligenda est quæ æris speciem refert, friabilis est, non calculosa, & non uetusta: insuperq; quæ fibras oblongas & splendentes habet. Vim habet adstringentem & calefacientem, crustas inducentem, depurgantem oculos, & quæ circa angulos ipsorum hærent. Est autem ex his quæ mediocriter adstringunt. Facit & ad ignes sacros, herpetas, sanguinis ex utero & narib. eruptiones cum porri succo. Arida uero ad excrescentem ginguarum carnem, nomas & tonsillas. Vista eadem magis ad ocularia medicamenta commoda est trita cum melle, callosas & asperas palpebras cōsumit & exterit. Fistulas tollit in collyrij forma indita. Ex ipsa porrò paratur medicamentum quod psoricum appellatur, dupla chalcitide ad simplicē cadmiam ammixta, & cum aceto trita. Oportet autem in fisticili uase defodere, in filum, in feruoribus sub cane, per quadraginta dies. fit ita acrius, & eadem quæ chalcitis potest. Quidam pares utriusq; portionis mixtas uino terunt, & eadem faciunt. Virtut autem chalcitis in fistile nouum indita, & ignitis carbonibus imposita. Modus uerendi est in multum humidis, ut bullas non amplius emittat, & probè aridum fiat: in reliquis, ubi in floridorem colorem mutatio contingit. Quum enim rubricæ colorem per profundum contraxerit, auferenda est, & adhærens sordes difflanda, & reponenda. Assatur eadem in prunis quæ insufflantur, donec subpallida fiat: Aut in testa, & carbonibus ignitis, ita ut frequenter ueretur, donec igne eandescat, & colorem mutet.

E M B L E M A L X X X

Chalcitidem ex chalcанtho, id est atramento sutorio fieri, præcedenti emblemate ex Galeno adduximus. Differunt autem chalcites, & chalcitis. Chalcites hoc est χαλκίτης λιθός, lapis est qui & pyrites dicitur, ex quo æs fit, ut Plinius libro 34. cap. 2. Fit & æs inquit, ex alio lapide, quem chalcitem uocant in Cypro. Et rursus cap. i 2. Chalcitem uocant lapidem ex quo & ipsum æs coquitur. Distat à Cadmia, quod illa super terram ex subditalibus petris cæditur, hic ex obtutis. Item quod chalcites friat se statim mollis natura, ut uideatur lanugo concreta. Sed his posterioribus locis chalcitis falsò legitur, à qua culpa uix ipsum Plinium defendere possumus. Nam uelut qui de chalcitide ista dixisset, & non de chalcite lapide, subdit mox de chalcitide plura, eamq; amplius à cadmia distinguit, & sic chalcitum cum chalcite lapide confundit. Quæ enim sequuntur ad chalcitum pertinent, & magna ex parte consona sunt his quæ Dioscor. hoc capite de chalcitide tradit. Est & alia distinctio, inquit, quod chalcitis tria genera continent, æris, & misyos & soreos, de quibus singulis dicemus suis locis. Habet autem æris uenas oblongas. Probatur mellei coloris, gracili uenarum discursu, friabilis, nec lapidosa. Putant & recentem utiliorē esse, quoniam inueterata sori fiat. Vis eius ad excrescentia in ulceribus, sanguinem sistere, gingivias, uuant, tonsillas, farina compescere. Vuluæ quoq; uitij in uellere imponitur. Cum succo uero porri, uerendorum additur emplastris. Maceratur autem in fisticili ex aceto, circumlitio primo diebus quadraginta, & colorem croci trahit. Tunc admixto cadmiae pari pondere, medicamentum efficit psoricon dictum. Quod si duæ partes chalcitidis tertia cadmiae temperentur, acrius hoc idem fiet. Acrius etiamnum & uehementius, si aceto quam uinò temperentur. Tosta uero efficacior fit ad eadem omnia. Meminit psorici parandi etiam Celsus lib. 6. cap. 6. in collyrio basilico. Galenus scribit in metallo Cyprio se uidisse uelut tres zonas, aliam super aliam extentas, in simili soreos, super eam chalcitidis, supremam misyos. Et addit se aliquando misy in usum assumere uoluisse, & glebam accepisse, quæ tamen densior esset, quam misy concrescere solet. Itaq; glebam fregisse quæ chalcitidis erat ab initio, & reperiisse circum circa misy, uelut floridam quandam eius quod intus esset eruptionem: ita ut quod inter misy, & chalcitidem in profundo nondum mutatam, medium esset, ex dimidio iam in misy mutatum esset. Atq; hinc rationem inijisse, posse etiam Sori in Chalcitidem mutari: & sane compresisse medicam quādam signifi-

Significationem, quod & ipsum longiori tempore in chalcitin mutari posset. Quare nūlū mīst est inquit, hæc tria medicamenta eiusdem genere facultatis esse, tenuitatem & crassitudine partium differentia. Et crassissimum quidem est Sori, tenuissimum Misy, medium chalcitis. Quum autem ambo, & chalcitis, & misy, liquari possint coctura, & magis chalcitis quam misy, sori non liquatur, eò quod lapidosius & uehementius compactum est: quemadmodum rursus ægrius liquatur Misy quam chalcitis, eo quod nativo calore elaboratum siccus existit. Idem rursus chalcitis uim habet, inquit, adstringētem & acrem. Sed prædominatur acris, eosq; ut & urat, & crustam inducat. At usta minus mordet, sed non minus siccatur, deponit autem non parum de adstrictione. Quare usta omnino melior est, tenuiorum partium euadens, & acrimoniam non assumens. Nostri autem omnia usta dum lauantur, moderatione & minus mordacia fieri. Officinæ partim vitriolū albū, partim rubrū, pro chalcitide agnoscunt. Et hinc nostri partim weißkupfferwasser, partim Rotvitriol, partim Rot atrament, hoc est atramentum sutorium rubrum appellant.

DE MISY. CAP. LXXXI

Misy assumendum est Cyprium, aurum speciem præferens, durum, & dum frāgitur, aurum referens, & stellarum modo splēdicans. Vim & unctionem eandē habet, quam chalcitis: præterquam quod psoricum ex eo non paratur: prout magis & minus validum est differens. At Ægyptium ad alia quidem præstat, ut quod efficacius est: sed ad ocularia medicamenta prædicto longe inferius est.

EMBLEMA LXXXI

Misy tradiderunt aliqui fieri exusto lapide in scrobib, flore eius luteo, miscente se ligni pīne fauillæ. Reuera autem è supradicto fit lapide, concretum natura discretumq; & optimū Cypriorum officinis: cuius notæ sunt friati aureæ scintillæ, & quū teratur arenosa natura, siue terra chalcidi similis. Hoc autem miscent qui aurū purgant. Ita Plin. loco præcedenti emblematum citato, quē & ipse reuocat, dū ait Misy fieri è supradicto lapide. Nō aūt ex lapide chalcite, sed ex Chalcidē, quā Plin. nominis cognatione seductus cum chalcite, velut dixi, confudit, misy fieri, ex Gal. sententia declarauit. Addit mox Plin. misyos uires & usum. Utilitas eius infusi cum rosaceo aurib, purulentis, & lana impositi capitib ulceribus. Extenuat etiam scabicias oculorum in ueteratas. Præcipue utile tonillis, contraq; anginas & suppurrata. Ratio ut sedecim drachmæ in hemina acetii coquantur addito melle, donec lentescat. Sic ad supradicta utile est. Quoties opus sit molliri vim eius, mel aspergitur. Eredit & callum fistularum ex acero souentium, & collyrijs additur. Si sit & sanguinem, ulceraq; quæ serpunt, quæue putrescant. Absunt & excrescentes carnes, peculiariitatē uirilitatis uitq; utile. Et foeminarum profluuium sistit. Sic Plinius. Diosc. eandem quam chalcidi vim ipsi attribuit, sed differre ab illa, prout magis aut minus validum esset, ait. Hoc Galenus declarat. Participant, inquit, quamuis urant, etiam adstrictione. Dum aūt duris carnib. adhibentur, Misy minus mordet q; chalcitis, etiam si non minus calidum sit q; illa, sed hoc ex essentia tenuitate habet. Misy nostri partim gelb vitriol, partim gelb atrament uocant.

DE MELANTERIA. CAP. LXXXII

Melanteria quædam fauibus fodinarum, è quibus æs eruitur, accrescit salsuginis modo. Quædam supernè in prædictorum locorum summa parte, quæ etiam terrea est. Inuenitur & fossilis quædam in Cilicia, & alijs quibusdam locis. Præstat quæ sulphuris colorem habet, lauis, plana, pura, & quæ aquæ contactu cito nigrescit. Vim habet urentem, eandem quam Misy.

EMBLEMA LXXXII

Melanteriam Latini Atramentum metallicum uocant. Plin. lib. 35. cap. 6. atramentum in genere inter factios colores recensens, Atramentum quoq; inquit, inter factios erit: quāquam est & terra geminæ originis. Autenim salsuginis modo emanat: aut terra ipsa sulphurei coloris ad hoc probatur. Hæc autem de atramento metallico ipsum loqui, quam Diosc. melanteriam appellat, utriusq; uerba declarant. Galenus melanteriam ex pharmacis multum adstringentibus esse dicit, unā cum hoc quod etiam tenuium partium est, ferè maximè ex omnib. quæ adstringunt. Officinæ atramentum citrinum uocant. Et nostri gelben, oder schwartz berchschwefel. Quidam etiam grāw oder schwartz atrament. Paratur & melanteria ex clavis uetus & acero, quam habet Aetius lib. 7. cap. 39. & rursus quomodo paranda sit, docet eiusdem libri, cap. 99. Clauo,